IN FESTO S. GERTRUDIS VIRGINIS, ET ABBATISSÆ ORD. S. BENEDICTI.

DUPLEX.

Omnia de Communi Virginum.

ORATIO.

DEus, qui in corde Beatæ Gertrudis Virginis jucundam tibi mansionem præparâsti, ipsius meritis, & intercessione cordis nostri maculas clementer absterge, & ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dñm.

In primo Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTUR.

Lectio i.

GErtrudis Islebii in Saxonia nobili genere nata, quinquennis in Monasterio Rodardensi Ordinis S. Benedicti virginitatem suam, ac se ipsam Jesu Christo obtulit. Quo ex tempore à mundanis rebus prorsùs aliena, virtutique sedulò intenta, cælestis vitæ genus instituit. Ad humaniorum litterarum notitiam rerum divinarum cognitionem adjunxit. Quarum meditatione vehe-

hementiùs ad virtutem incensa, brevi Christianam perfectionem adepta est. De Christo, ejusque vitæ mysteriis sæpenùmero pio cum animi sensu loquebatur: unamque Dei gloriam cogitans, ad illam vota sua omnia, & actiones referebat. Quamvis autem multis eximiis naturæ, & gratiæ donis à Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescebat, ut inter præcipua divinæ bonitatis miracula hoc item memoraret, quòd se indignissimam misericorditer sustineret.

Lectio ii.

TRicesimum ætatis annum agens, primàm Rodardiensis Monasterii, ubi religiosam vitam est professa, deindè Elpediani Præses electa, quadraginta annorum spatio, ea charitate, prudentia, & regularis disciplinæ studio munus obivit, ut Cœnobium religiosæ perfectionis domicilium videretur. Utrobique verò licèt esset omnium Mater, & Magistra, omnium tamen minimi haberi volebat, ac demissione pari ministram se exhibebat. Quò liberiùs Deo vacaret, vigiliis, abstinentiâ, aliisque cruciatibus corpus afflixit: semperque sui similis, morum innocentiam, mansuetudinem, ac patientiam prætulit singularem. Proximorum saluti omni ope studuit, piæque curæ copiosùm fructum retulit. Divini amoris vi frequentes patiebatur ecstases: altissi-

tissimæque contemplationis, & divinæ unionis donum obtinuit.

Lectio iii.

VT meritum acceptissimæ sibi Sponsæ Christus ostenderet, in corde Gertrudis jucundam sibi esse mansionem testatus est. Deiparam Virginem, veluti Matrem, & Curatricem à Jesu acceptam pietate præcipua prosequebatur; ab eaque multa accepit beneficia. Erga divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, & Passionem Domini tanto amore cum grati animi sensu afficiebatur, ut interdum uberibus lachrymis perfunderetur. Justorum animas piacularibus flammis addictas quotidianis subsidiis, & precibus juvabat. Multa ad confovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam revelationum, & prophetiæ dono claruit. Denique flagrantissimo Dei amore, potius quàm morbo, languescens, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo vitâ decessit. Miraculis vivens, & post mortem à Deo illustrata est.

In tertio Nocturno Homilia Sancti Gregorii Papæ in Evang. Simile erit regnum Cælorum decem Virginibus, &c.

Missa: Dilexisti, *de Communi cum Orat. de Offic.*

UR.

URBIS, ET ORBIS.

S*Uprascriptas orationes, & lectiones secundi Nocturni proprias Sanctæ Gertrudis Virginis Ord. S. Benedicti ab Emo. & Rmo. Domino Cardinali Sancti Clementis diligenter revisas, atque examinatas, Sacra Rituum Congregatio ad instantiam Serenissimi Regis Poloniæ benignè approbavit, ut singulis annis die 15. Novembris pro Festo ejusdem Sanctæ assignata ab omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, in ejus Missa, & Officio sub ritu Duplici Minori à Sanctissimo D. N. sub die 20. Junii 1738. Ecclesiæ universali concesso, recitari debeant, si Sanctissimo D. N visum fuerit. Die 9. Maii 1739.*

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die 19. ejusdem mensis, & anni 1739.

C. Card. de Marinis, Præf.

Loco ✠ Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus,
Secret.